FRIBVRGI BRISGOIAE

M. D. XXXIIII.

EXCVDEBAT IOANNES FABE

EMMEVS IVLIACENSIS.

FRIBVRGI BRISGOIAE

M. D. XXXIIII.

EXCVDEBAT IOANNES FABE

EMMEVS IVLIACENSIS.

GVILIELMI LILII GRAMMATICI & POETÆ eximij, Paulinæ ſcholæ olim moderatoris, De generibus nominum, ac uerborum præteritis & ſupinis, Regulæ pueris apprime utiles.

OPVS RECOGNITVM & adauctum, cum nominum ac uerborum interpretamentis, per Ioannem Rituiſſum, ſcholæ Paulinæ præceptorem

LAVS DOCTRINAE.

EST ornamentum rebus doctrina secundis
Rebus i aduersis, doctrina est portus et aur
Dulcis doctrinæ fructus, radicula amara est
Vt ualeat, quis non succos potabit amaros?
Discitur ars ideo, quo quisq; exerceat illam.
Auxilio uitæ, seu laudi, letitiæue.
Philosophus similem uiuo canit esse peritum,
Defuncto similis, quicunq; indoctus habetur.
Quippe ego doctrina malim cunctos superare
Dixit Aristoteli Macedo, quam rebus opimis,
Culto agro nihil esse potest ornatius atq;
Huberius, tibi cura tui non desit agelli.

IN LAVDEM BONI PRAECEPTORIS.

QVi notos generant, laudandi quiq; parẽt
Qui tamẽ eruditũ etiã magis usq; proban
Si tibi sit natus, doctori trade perito,
Perdocet indoctus quæ dedoceantur oportet.
Discere fili artem nullam potes absq; magistro:
Ad præceptorem festino currito gressu.
Doctorem ueluti sanctum uenerare parentem.
Laudando semper, probris offendito nunquam.
Cum sapiente means, sapiens euadet amicus.
At qui doctori sese committet inerti,
Stultorum similis fiet, sapientibus hære.

IOANNIS RITVISSI SCHOLAE PAVLINAE PRAECEPTORIS primarij.

HEXASTICON.

APtum nominibus genus aßignare Latinis,
Si uariare ſimul uerba Latina cupis,
Hoc tibi præſtabit doctus puer iſte libellus
Rarus in hoc æuo quod dedit ante liber.
Eſt breuis, eſt facilis, concinnus & utilis, & ſunt
Lilio ab authore hæc qualiacunq; leges.

GVILIELMVS SVERDERVS.

Reſtituit genti Romanæ ſigna Camillus,
Lilius at noſtræ nulla minora tulit.
Ornauit patriam bello clariſſimus ille,
Hic coluit ſtudijs barbara regna ſuis.

☞ Richardi Vernami Carmen.

En paruo ſumptu, paruoq; uolumine prodit
Paruus non parua ſcriptus ab arte liber,
Hunc emat, & paruo ſibi quilibet ære puellus
Comparet, & paruo tempore multa ſciet.

☞ Guilielmus Emerſonus.

Has ſtudioſe puer ſcriptas tu perlege normas,
Lilius en monſtret quale Guilielmus opus.
Has legis & tractas magno Rituiſſe labore,
Exornans pubis ora diſerta tuæ.

GVILIELMI LILII DE LATINORVM NOMINVM GENERIBVS.

REGVLAE GENERALES PROPRIORVM.

Mascula. PRopria quæ maribus tribuũtur, mascula dicas
Vt sunt diuorũ, Mars, Bacchus, Apollo: uirorũ
Vt Cato, Virgilius. Fluuiorũ, ut Tybris, Orontes
Mensium, ut October. Ventorũ, ut Lybs. notus au
(ster

Fœminea. Propria fœmineum referentia nomina sexum.
Fœmineo generi tribuuntur, siue dearum
Sunt. ut Iuno, Venus. Mulierũ, ceu Anna, Philoti
Vrbium, ut Elis, Opus. Regionum, ut Græcia, Persi
Insulæ item nomen, ceu Creta, Britannia, Cyprus.

Exceptio. Excipienda tamen quædam sunt urbium, ut ista,
Mascu. Sulmo, Agragas: quædã neutralia ut Argo
Tibur, Preneste, & genus Anxur quod dat utrunq

APPELLATIVORVM.

Appellatiua arborum erunt muliebria, ut alnu
Cupre

Cupreſſus, Cedrus, Mas ſpinus, mas oleaſter.
Et ſunt neutra ſiler, ſuber, thus, robur, acerq;.
Sunt etiam uolucrum, ceu paſſer, hirundo. Ferarũ:
Vt tygris, uulpes: & piſcium, ut oſtrea, cetus,
Dicta epicœna, quibus uox ipſa, genus feret aptũ.

Attamen ex cunctis, quæ diximus ante, notandum. VM.
Omne quod erit in um, ſeu Græcum, ſiue Latinum,
Eſſe Genus neutrum, ſic inuariabile nomen.

REGVLAE SPECIALES APPELLATIVORVM.

SEd nunc dereliquis quæ appellatiua uocãtur,
Aut quæ ſunt tanq̃ appellatiua, ordine dicam
Nam genus his ſemper dignoſcitur ex gtõ,
Infra ut monſtrabit ſpecialis regula triplex.

PRIMA REGVLA SPECIALIS.

NOmen non creſcens genitiuo, ceu caro carnis,
Capra capræ, nubes nubis, genus eſt m: uliebre.

Maſcula nomina in a, dicuntur multa uirorum: Maſcul.
Vt ſcriba, aſſecla, papa, & rabula, lixa, laniſta.
Maſcula Græcorum quod declinatio prima
Fundit in as, & in es, & ab illis quot per a fiunt.

Vt ſatrapæ ſatrapa, athletes athleta. Leguntur
Maſcula item uerres, natalis, aqualis: ab aſſe
Nata et, centuſſis, coniunge lienis & orbis,
Callis, caulis, follis, collis, menſis & enſis,
Fuſtis, funis, panis, penis, crinis & ignis,
Caſſis, faſcis, torris, ſentis, piſcis & unguis,
Et uermis, uectis, poſtis ſocietur & axis. (nus

Er. os. us. Maſcula in er ceu uĕter, in os uel ī us, ut logos, ana
Fœminei generis ſunt mater, humus, domus, aluus,
Et colus, & quartæ pro fructu ficus, acusq;.
Porticus atq; tribus, ſocrus, nurus & manus, idus
His iungas os in us uertentia Græca, papyrus,
Antidotus, coſtus, diphthongus, byſſus, abyſſus,
Criſtallus, ſynodus, ſaphyrus, heremus & arctus.
Cum multis alijs, quæ nunc perſcribere longum eſt.

Neutra. Neutrum nomen in e, ſi gignitis, ut mare, rete.
Et quod in on uel in um fiunt, ut barbiton, ouum.
Eſt neutrũ hippomanes genus, et neutrũ cacoethes
Et uirus, pelagus: neutrũ modo mas, modo uulgus.

Epicœna Incerti generis ſunt talpa, & dama, canalis,
Alcyonis, finis, clunis, reſtis, penis, amnis.
Pampinus & corbis, limter, torquis, ſpecus, anguis,
Pro fructu ficus fici dans, atq; phaſelus,
Lecythus, ac atomus, groſſus, pharus, & paradiſus,

Compo-

compositum a uerbo dans a, cõmune duorum est. Cõmunia.
Graiugena a gigno, agricola a colo, aduena mon=
A uenio, adde senex, auriga et uerna sodalis (strat
Vates extorris, patruelis, perq; duellis.
Affinis, iuuenis, testis, ciuis, canis hostis.

SECVNDA REGVLA SPECIALIS.

NOmen crescentis penultima si genitiui
Syllaba acuta sonat, uelut hæc pietas pietatis
Virtus uirtutis monstrant, genus est muliebre.

Masculi.

Mascula dicuntur monosyllaba nomina quædam
Sal, sol, ren & splen, car, ser, uir, uas uadis, as, mas,
Bes, eres, pres, & pes, glis gliris habens genitiuo.
Mos, flos, ros et tros, mus, dẽs, mõs, põs simul & fons
Seps pro serpente, gryps, thrax, rex, grex gregis, &
Mascula sunt etiã polisyllaba in, ut Acarnan (sphryx N.
Lichen, & delphin, & in o, signantia corpus, O.
Vt leo, curgulio, sic senio, termo, sermo.
Mascula in er, or & os, ceu crater, conditor, heros Or. Os.
Sic torrens, nefrens, oriens, cum pluribus in dens, Dens.
Quale bidens, quando pro instrumento reperitur:
Adde gygas, elephas, athanas, garamasq;, tapesq;,
Atq; lebes, cures, magnes, unumq; meridi.

Es nomen quintæ, & quæ componuntur ab asse.
Vt dodrans, semis: iungantur mascula samnis,
Hydrops, nicticorax, thorax, & mascula ueruex.
Phœnix, & bombix pro uermiculo. Attamen ex his
Sunt muliebre genus siren, mulier, soror, uxor.

Neutra. Sunt neutralia, & hæc monosyllaba noïa mel, fel,
Lac, far, uer, cor, æs, uas uasis, os ossis, & oris.
Rus, thus, ius, crus, pus, & in al polysyllaba, in arq;
Vt capital, laquear. Neutrum halec & muliebre.

Epicœna. Sũt dubia hæc: phytõ, scrobs, serpẽs, bubo rudẽs gr
Perdix, linx, limax, stips pro trunco, pedis & calx
Adde dies numero, mas tantum ritæ secundo.

Cõmunia. Sunt commune parens, author, infans, adolescens,
Dux, illex, hæres, exlex, á fronte creata:
Vt bifrons, custos, bos, fur, sus atq; sacerdos.

TERTIA ET VLTIMA REGVLA SPECIALIS.

NOmen crescentis penultima si gemtiui
Sit grauis ut sanguis gtõ sanguinis est mas.

Fœminea Do. Go. Fœminei generis sit hyperdissyllabon in do.
Quod dinis, atq; in go: quod dat ginis in genitiuo.

Id tiu

Id tibi dulcedo faciens dulcedinis: idq̃;
Monstrat compago compaginis: adijce uirgo,
Grando, fides, cõpes, teges, et seges, arbor, hyẽsq̃;
Sic baccar, syndon, gorgon, icon, & amazon
Græcula in as uel in is græco, ut sunt lãpas, iaspis As, is.
Cassis, cuspis: in us, uox una pecus pecudis dans:
His forfex, pellex, carex, simul atq; supellex,
Appendix, istrix, coxendix, adde filixq̃;.

Est neutrale genus, signans rem non animatam: Neutra
Nomẽ i a, ut problema: en, ut omẽ: ar ut iubar: urdãs A, en,
Vt iecur: us, ut onus: put, ut occiput. Attamẽ ex his ar, ur.
Masculа sunt pecten, furfur. Sunt neutra cadauer,
Verber, iter, suber, profungo tuber, & huber,
Gingiber, & lacer, cicer, & piper, atque papauer
Et siser, atque siler, Neutra æquor, marmor, adorq̃;
Atque pecus, quando pecoris facit in genitiuo.

Sunt dubij generis cardo, margo, cinis, obex. Epicœ
Puluis: adeps, forceps, pumex, ramex, anas, imbrex na
Adde culex natrix, & onix cum prole silexq̃;.
Quamuis hæc melius uult masculа dicier usus.

Communis generis sunt ista, uigil, pugil, exul, Cõia.
Præsul, homo, nemo, martyr, ligur, augur, et archas
Antistes, miles, pedes, interpres, comes, hospes,

Sicales

Sic ales, præses, princeps, auceps, eques, obses:
Atq; alia a uerbis, quæ nomina multa creantur.
Vt coniux, iudex, uindex, opifex, & aruspex.

REGVLA ADIECTIVORVM GENERALIS.

Adiectiua unam dumtaxat habentia uocem,
Vt fœlix audax, uoce est genus oē sub una.
Sub gemina si uoce cadant, uelut omnis & omne
Vox commune duum prior est, uox altera neutrū.
At si tres uariant uoces, sacer ut sacra sacrum,
Vox prima est mas, altera fœmina, tertia neutrum.
Sunt quæ deficiant genere adiectiua notanda,
De quibus, atq; alijs, alibi tibi mentio fiet.

DE SIMPLICIVM VERBORVM PRAETERITIS, PRIMA CONIVGATIO.

As in præsenti, perfectum format in aui:
Vt no nas naui, uocito uocitas uocitaui.
Deme lauo laui, iuuo iuui, nexoq; nexui:
Et seco quod secui, neco quod necui, mico uerbum
Quod micui, plico quod plicui frico qđ fricui d
Sic domo q, domui, tono quod tonui, sono uerbum

Quo

Quod sonui, crepo crepui, uetо quod uetui dat.
Atq; cubo cubui: Raro hæc formantur in aui.
Do das rite dedi, sto stas formare steti uult.

SECVNDA CONIVGATIO

ES in præsenti perfectum formatur ui dans:
Vt nigreo nigres nigrui, iubeo excipe iussi.
Sorbeo sorbui, habet sorpsi quoq;, mulceo mulsi,
Luceo uult luxi, sedeo sedi, uideoq;
Vult uidi, sed prandeo prandi, strideo stridi
Quattuor his infra geminatur syllaba prima.
Pendeo namq; pependi, mordeo uultq; momordi,
Spondeo habere spopondi, tondeo uultq; totondi:
Suadeo suasi, rideo risi, habet ardeo & arsi.
Luel ar ante geo si stet, go uertitur in si, Geo.
Vrgeo ut ursi, mulgeo mulsi, dat quoq; mulxi:
Frigeo frixi, lugeo luxi, habet augeo & auxi.
Dat fleo fles fleui, leo les leui, indeq; natum
Deleo deleui, pleo ples pleui, neo neui,
A maneo manси formatur, torqueo torsi.
Hæreo uult hæsi, ueo fit ui, ut ferueo ferui.
Niueo & inde satum poscit conniueo niui
Et nxi, iunge his cieo ciui, uieoq; uieui.

TERTIA CONIVGATIO

TErtia præteritũ formabit, ut hic manifestum,
Bo Bo fit bi, ut lambo lambi, scribo excipe scripsi
Et nubo, nupsi, antiquum cumbo cubui dat,
Co Co fit ei ut uinco uici, uult pareo peperci
Et parci, dico dixi, duco quoque duxi.
Do. Do fit di, ut mando mandi, sed scindo scidi dat,
Findo fidi, fundo fudi, tundo tutudiq;,
Pendo pependi, tendo tetendi, pedo pepedi.
Iunge cado cecidi, & pro uerbero cædo cecidi.
Cedo. Cedo pro discedere, siue locum dare cessi.
Vado, rado, lædo, ludo, diuido, trudo,
Claudo, plaudo, rodo, exdo semper faciunt si.
Go Go fit xi, ut iungo iunxi, sed r ante go uult si,
Vt spargo sparsi, lego legi, & ago facit egi.
Dic tango tetigi, pungo punxi pupugiq;.
Dat frango fregi, cum signat pango pacisci
Vult pepigi, pro iungo pegi, pro cano panxi.
Ho. Hoc fit xi, traho ceu traxi, decet ueho uexi,
Lo. Lo fit ui, colo, ceu colui, psallo excipe cump
Et sallo sine p. nam salli format utrumq;.
Dat uello uelli uulsi quoque, fallo fefelli.
Cello pro frango ceculi, pello pepuliq;.
Mo. Mo fit ui, uomo ceu uomui sed emo facit emi.
Como petit compsi, promo prompsi, adijce demo,
Quod format, dempsi, sumo sumpsi, premo pressi,
No. No fit ui, sino seu siui: temno excipe tempsi.

Dat

Dat sterno strauí, sprenui sperno, lino leui.
Interdum liui & lini, cerno quoq; creui,
Gigno, pono, cano, genui, posui, cecini dant.
Po fit psi, ut scalpo scalpsi, rumpo excipe rupi. Po
Et strepo qđ formatstrepui, crepo qđ crepui dat
Quo fit qui, ut linquo linqui, coquo démitto coxi Quo.
Ro fit ui, sero creui planto, & semino seui Ro.
Quod serui melius dat, mutans significatum.
Vult uerro uerri & uersi, uro ussi, gero gessi
Quæro quæsiui, tero triui, curro cucurri
So, uelut accerso, arcesso, incesso, atque lacesso. So
Formabit siui, sed tolle capesso capessi.
Quodq; capessiui facit, atque facesso facessi,
Sic uiso uisi, sed pinso pinsui habebit.
Sco fit ui, ut pasco pauí, uult posco poposcí. Sco.
Vult didici disco: quexi formare quiniscó,
To fit ti, ut uerto uerti, sed sisto notetur. To.
Pro facio stare actiuum, nam iure stiti dat.
Sterto stertui habet, meto messui, abecto fit exi, Ecto
Vt flecto flexi: pecto dat pexui, habetq;
Pexi, etiam necto dat nexui, habet quoque nexi,
Dat mitto misi, petij peto, siue petiui.
Vo fit ui, ut uoluo uolui: uiuo excipe uixi, Vo.
Nexo ut nexui habet, sic texo texui habebit.

Fit cio ci, ut facio feci, iacio quoq; icci. Cio.

Antiquà

Dio. Antiquum lacio lexi, ſpecio quoq; ſpexi.
Gio. Fit dio di, ut fodio fodi: Gio ceu fugio gi.
Pio. Fit pio pi, ut capio cæpi: cupio excipe piui
Rio Et rapio rapui, ſapio ſapui atq; ſapiui.
Tio Fit rio ri, ut pario peperi: tio ſi geminans ſ.
Vo. Vt quatio quaſſi, quod uix reperitur in uſu.
Deniq; uo fit ui, ut ſtatuo ſtatui, pluo pluui
Format ſiue plui, ſtruo ſed ſtruxi, fluo fluxi.

QVARTA CONIVGATIO

QVarta dat is iui, monſtrat ſcio ſcistibi ſciui
Excipias uenio, dans ueni, cambio campſi,
Raucio rauci, farcio farci, ſarcio ſarci.
Sæpio ſepſi, ſentio ſenſi, fulcio fulſi.
Haurio item hauſi, ſancio ſanxi, uincio uinxi
Pro ſalto ſalio ſalui, & amicio amicui dat.
Parcius utemur cambiui, hauriui, amiciui,
Sæpiui, ſanciui, ſarciui atq; ſaliui.

DE COMPOSITORVM VERBORVM PRAETERITIS.

PRæteritum dat idem ſimplex & compoſitum
Vt docui edocui monſtrat, ſed ſyllaba ſemper,
Quã ſimplex geminat, compoſto non geminatur.

Præter

Præter q̃ tribus his, præcurro excurro, repungo:
Atq; a do disco, sto, posco, rite creatis,
A plico compositum, cum sub, uel nomine, utisti. Plico
Supplico, multiplico, gaudent formare plicaui.
Applico, cõplico, replico, & explico ui, uel in aui
Quamuis uult oleo simplex olui: tamen inde Oleo
Quoduis compositum, melius formabit oleui
Composita a pungo formabunt omnia punxi.
Vult unum pupugi, interdumq; repungo repunxi.
Natum à do, quando est inflexio tertia: ut addo Do
Credo, edo, dedo, reddo, perdo, abdo, uel obdo,
Condo, indo, trado, Prodo, uendo, dedi: at unum
Abscondo abscondi natum a sto stau stiti habebit.

Mutantia primam uocalem in E.

Verba hæc simplicia præsentis, præteritiq;:
Si componantur, uocalem primam in e mutant:
Damno, lacto, sacro, fallo, arceo, tracto, fatiscor:
Farcio, carpo, patro, scando, spargo, parioq;
Cuius nata per i duo comperit & reperit dant:
Cetera sed per ui: uelut hæc aperire, operire,
A pasco paui tantum: composita notentur
Hæc duo compesco, dispesco pescui habere.
Cetera ut epasco seruabunt simplicis usum.

Mutantia primam uocalem in I.

Hæc habeo, lateo, salio, statuo, cado, lædo:
Pango dans pegi, cano, quæro, cædo cecidi:

Tam

Tango, egeo, teneo, taceo, ſapio, rapioq́,
Si componantur, uocalem primam in i mutant
Vt rapio rapui, eripio eripui. A cano natum
Præteritum per ui, ceu concino concinui dat.
Compoſita à pango retinent a quatuor iſta,
De pango, oppango, circumpango, atque repãgo,
A maneo manſi, minui dant quatuor iſta,
Præmineo, emineo, cum promineo, immineoq́;
Simplicis at uerbi ſeruabunt cætera formam.

Scalpo Compoſita à ſcalpo, calco, ſalto à per u mutant.
Id tibi demonſtrat exculpo, inculpo, reſulto.

Compoſita a claudo, quatio, lauo, reijciunda:
Claudo Id docet à claudo occludo, excludo: à quatioq́;
Percutio, excutio: à lauo proluo, diluo nata.

Hæc ſi componas, ago, emo, ſedeo, rogo, frango.
Et facio, iacio, lacio, ſpecio, premo ſemper
Vocalem primam præſentis in i ſibi mutant:
Præteriti nunquam, ceu frango, refringo refregi.
A facio inficio infeci: ſed pauca notentur.
Namq; ſuum ſimplex perago ſequitur, ſatagoq́;
Vtq; ab ago, dego dat degi, cogo dat coegi.
A rego ſic pergo perrexi, uult quoq; ſurgo
Surrexi, media præſenti ſyllaba adempta.

A lego

A lego nata, re, se, per, sub, uel trans praeeunte,
Praesentis seruant uocalem, in i caetera mutant,
De quibus haec, intelligo, diligo, negligo, tantum
Praeteritum lexi faciunt, reliqua omnia legi.

Cōpō-sita á lego.

DE SIMPLICIVM VERBORVM SVPINIS SECVNDVM DESINENTIAS PRAETERITORVM.

NVnc ex praeterito discas formare supinum,
Bi sibi tum sumit, sic namq; bibi bibitum fit,
Ci fit ctum, ut uici uictum, testatur et ici
Dans ictum, feci factum, ieci quoq; iactum
Di fit sum, ut uidi uisum, quaedam geminant ß.
Vi pandi passum, sedi sessum, adde scidi, quod
Dat scissum, atq; fidi fissum, fodi quoq; fossum.
Hic etiam aduertas, quod syllaba prima supinis
Quam uult praeteritum geminari, non geminantur.
Idq; totondi dans tonsum docet atq; cecidi
Quod cesum, et cecidi quod dat casum, atq; tetendi,
Quod tensum et tentum, tutudi tunsum, atq; pepidi,
Quod format peditū, adde dedi, quod iure datū uult
Gi fit ctum, ut legi lectum, pegi pepigiq;
Dat pactum, sregi fractum, tetigi quoq; tactum.
Egi actum, pupugi punctum, fugi fugitum dat

Bi.
Ci.
Di.
Gi.

Li. Li fit ſum, ut falli ſtans pro ſale condito, falſum
Dat pepuli pulſum, cecidi cidſum, atq; fefelli
Falſum, dat uello uulſũ, & ſic tuli habet quoq; lat
Mi. Ni Mi, ni, pi, qui, tuu fiunt, uelut hic manifeſtum.
Pi. Qui Emi emptum, ueni uentum, cecini á cano cantum.
A capio cepi dans captum, à cepio ceptum.
A rumpo rupi ruptum, liqui quoq; lictum.
Ri, Ri fit ſum, ut uerri uerſum, peperi excipe partu
Si. Si fit ſum, ut uiſi uiſũ, tamen ſ geminato,
Miſi formabit miſſum, fulſi excipe fultum.
Hauſi hauſtum, ſarci ſartum, farſi quoq; fartum
Vſſi quoq; uſtum, geſſi geſtum torſi duo tortum.
& torſum, indulſi indultum indulſumq; requiſit.
Pſi, Pſi fit ptũ ut ſcripſi ſcriptũ, cãpſi excipe eãpſum
Ti. Ti fit tum, á ſto namq; ſteti, á ſiſto ſtiti fit
Preteritum cõmune ſtatum, uerti excipe uerſum.
Vi Vi fit tum, flaui ut flatum, paui excipe paſtum.
Dat laui lotum, interdum lautum atq; lauatum.
Potaui potum, interdũ facit & potatum
Sed faui fautum, caui cautum, á ſero ſeui.
Formes rite ſatum. Leui liuiq; litum dat.
Solui à ſoluo ſolutum, uolui a uoluo uolutum.
Vult ſingultiui ſingultum, ueneo uenis
Veniui uenum, ſepiliui rite ſepultum.
Quod dat ui dat itum, ut domui domitũ, excipe q
Verbũ in uo, quia ſemper ui formabit in utũ. (ui

Exũ.

ui ut exutum. A ruo demerui ruitum dans.
lt secui sectum, necui nectum, fricuiq;
ictum, miscui item mixtum, & amicui dat amictū
orrui habet tostum: docui doctum, tenuiq;
ntum, consului consultum, alui altum alitumq;.
salui saltum, colui, occului quoq; cultum.
ui habet pistum, rapui raptum, seruiq;
sero uult sertum, sic texui habet quoq; textum.
Hæc sed ui mutant in sum, nam censeo censum.
lui habet celsum, meto meßui habet quoq; messum
exui item nexum, sic pexui habet quoq; pexum.
at patui passum, carui cassum caritumq;.
Xi fit ctum, ut uinxi uinctum: quinq; abijciunt n. Xi.
an finxi fictum, minxi mictum, inq; supino.
at pinxi pictum, strinxi, rinxi quoq; rictum.

DE COMPOSITORVM VERBORVM SVPINIS.

Compositum, ut simplex, formatur quodque supumin.

Quamuis non eadem stat semp syllaba utriq;
mpositum à tunsum, dempta n, tusum, a ruitū fit
empta uocali media, rutum, a saltum quoq; sultū.
sero, quando satum format, cōposita situm dant,
is captum, iactum, raptum, a per e mutant.

Et cautum, partum, sartum quoq; fartum.
Verbum edo compositum non estum, sed facit esu
Vnum dumtaxat comedo formabit utrunq;
A nosco tantũ duo cognitum & agnitum habent
Cetera dant notum, nullo est iam nositum in usu

DE PRAETERITIS VERBORVM IN OR.

VErba in or admittunt ex posteriore supino
Præteritũ uersо, u, per us, & sum consocia
Vel fui, ut à lectu lectus sum uel fui. At bo
Nunc est deponens, nunc est commune notandum
Nam labor lapsus, patior dat passus, et eius
Nata ut compatior compassus, perpetiorq;
Formans perpessus, fateor quod fassus, & inde
Nata, ut confiteor, confessus, diffiteorq;,
Formans dissessus, gradior dat gressus, & inde
Nata, ut digredior digressus, iunge fatiscor.
Fessus sum, mensus sum metior, utor & usus,
Pro texo orditus, pro incœpto dat ordior orsus.
Nitor nisus uel nixus sum, ulciscor & ultus,
Irascor simul iratus, reor atq; ratus sum.
Obliuiscor uult oblitus sum, fruor optat
Fructus uel fruitus sum, misereri iunge misertus
Vult tuor & tueor non tutus, sed tuitus sum.

quamuis & tutum & tuitum sit utriq; supinum.
loquor adde locutus, & a sequor adde secutus.
experior facit expertus: formare paciscor
audet pactus sum, nanciscor nactus, apiscor
q̃ uetus ẽ uerbũ, aptußũ, unde adipiscor adeptus
unge queror questus, proficiscor iunge profectus.
expergiscor sum experrectus, & hæc quoq; commi
scor commentus, nascor natus, moriorq;
mortuus, atq; orior quod præteritum facit ortus.

DE VERBIS GEMINVM PREATE RITVM FORMAN- TIBVS.

PRæteritũ actiuæ & passiuæ uocis habent hæc,
Cæno cænaui & cænatus sum tibi format.
Iuro iuraui & iuratus, potoq; potaui
et potus, titubo titubaui uel titubatus.
Ac careo carui & cassus sum, prandeo prandi
et pransus, pateo patui & passus, placeoq;
bat placui & placitus, suesco sueui atq; suetus,
Veneo pro uendor, ueniui uenditus & sum
Nubo nupsi nuptaq; sum, mereor meritus sum
vel merui. Adde libet libuit libitum, & licet adde
quod licuit licitum, tædet quod tæduit, & dat
ertesum. Adde pudet faciens puduit puditumq;.
atq; piget tibi quod format piguit pigitumq;.

DE NEVTRORVM PASSIVORVM PRAETERITIS.

NEutropassiuum sic præteritum tibi format
Gaudeo gauisus sum, fido fisus, & audeo,
Ausus sum, fio factus sum, soleo solitus sum

DE VERBIS PRAETERITVM MVTANTIBVS.

QVædam præteritũ uerba accipiunt aliunde
Incœptiuũ in sco stãs pro primario adopt
Præteritũ eiusdẽ uerbi, uult ergo tepesco
A tepeo tepui, feruesco a ferueo ferui.
A uideo cerno uult uidi, a concutio uult
Præteritum quatio concussi, a percutioq́;
Percussi ferio, mingo uult meio minxi,
A sedeo sido uult sedi, a suffero tollo,
Sustuli, & a fuo sum fui, & a tulo rite fero tuli.
A sto sisto steti, tantum pro stare, furoq́;
Insaniui a uerbo eiusdem significati.
Sic poscunt uescor, medeor, liquor, & reminiscor
Præteritum a pascor, medicor, liquefio, recordor.

DE VERBIS PRAETERITO CARENTIBVS.

Præteritu

Præteritũ fugiũt, uergo, ambigo, diſco ſatiſco
Palleo, uideo, ad hæc incœptiua, ut pueraſco.
Et paſſiua, quibus caruere actiua ſupinis,
Et metuor, timeor. Meditatiua omnia, præter
Parturio, eſurio, quæ præteritum duo ſeruant.

DE VERBIS RARO SVPINVM HABENTIBVS.

Hæc raro, aut nũq; retinebunt uerba ſupinum
Lamo, mico micui, rubo, ſcabo, parco peperci,
Diſpeſco, poſco, diſco, compeſco, quinſco.
Dego, ango, ſugo, lingo, mingo, ſatagoq;
Pſallo, uolo, nolo, malo, tremo, ſtrideo, ſtrido
Flaueo, liueo, auet, paueo, conniueo, feruet.
Annuo compoſitũ, ut renuo, a cado ut incido, ptes
Occido quod facit occaſum, recidoq; recaſum
Reſpuo, linquo, luo, metuo, cluo, frigeo caluo,
Et ſterto timeo, ſic luceo & arceo, cuius
Cõpoſita ercitũ habent, ſic a gruo, ut ingruo natum
Et quæcunq; in ui formantur neutra ſecundæ,
Exceptis oleo, doleo, placeo taceoq;.
Pareo, item careo, noceo, lateoq;,
Et ualeo, caleo, gaudent hæc namq; ſupino.

FINIS.

NOMINVM ACVERBORVM INTERPRETATIO.

Apollo, deus quem Græci Solem appellant.
Auster, uentus flans à meridie.
Anna, nomen mulieris.
Agragas, urbs Siciliæ.
Argos, oppidi nomen.
Anxur, nome urbis Italiæ, quæ nũc Terrẽtina dicitur
Alnus, genus arboris.
Acer, arbor.
Assecla, qui continue & semper aliquem sequitur.
Athletes, pugil & luctator.
Aqualis, genus uasis ad aquam tenendam.
Axis, diametron mundi, & dicitur lignum teres, circa quod rota currus uertitur.
Amnis fluuius.
Aluus inferior uenter qua sordes effluunt
Acus instrumentum sartoris uel frumenti purgamentum, ac mulieris ornamentum.
Antidotus medicamentum contra uenena datum.
Abyssus, immẽsa quædã profunditas impenetrabilis
Arctus, ursa, quam nostri Septentrionẽ dixerunt, signum cœleste.

Alcyon, auis maritima hyeme pullos educans.
Anguis, serpens in aquis degens.
Atomus, corpus insecabile.
Agricola, qui exercet rem rusticam.
Aduena, qui non est ciuis, sed externus.
Auriga, qui uel quæ currum dirigit.
Affinis, cognatus.
As est libra, id est duodecim unciæ.
Acarnan, gens ex ea regione Aegypti
Athomas, nomen uiri.
Author, qui uel que aliquod opus facit.
Adolescens iuuenis adultus.
Arbor, notæ significationis
Amazones, Scythicæ fœminæ, eo q; mammis carent
Appendix, quod alij adiunctum quasi ex alio pendeat
Ador, frumenti genus uel farris.
Adeps omnis pinguedo, siue carnis, siue alterius rei
Anas, auis in aquis degens.
Augur qui futura pronunciat.
Archas, ex Archadia populus.
Antistes, in aliqua re summus.
Ales, quælibet auis aut uelox.
Auceps, qui uel quæ aues capit.
Aruspex, qui uictimas inspicit.

B.

Bacchus, deus uini.

Britania, regio quam nunc Angliam uocamus.
Byssus genus ligni subtilissimi
Barbiton instrumentum musicum quod pulsatur plectro uel calamo.
Bes unciæ octo.
Bidens instrumentum tot dentium, uel ouis
Bombix uermis, & pro materia sumitur
Bubo, auis nomen, a bouis mugitu.
Bifrons, habens duas frontes.
Bos, nota est significatio.
Bacchar, herba radicis odorate.

C.

Cato nomen uiri
Creta, insula est.
Cyprus, insula diues & luxui dedita.
Cupressus, arboris nomen.
Cedrus, arbor ingens & procera.
Cetus, piscis maximus.
Caro, quod anima careat, non solum de animalibus, sed etiam de piscibus.
Capra, animal a carpendis uirgultis dictum.
Centussis, centum librarum.
Callis uia perdurata, id est in uia trita.
Caulis, in herbis dicitur ipsum robur siue stipes.
Collis monticulus. Crinis, capillus.
Cassis, reticulum, & pro galea fœminini est.

Colus, instrumentum quod pẽsa continet.
Costus radix magni odoris.
Cristallus glacies ex gelu uehementer concreta.
Cacoethes malus mos.
Canalis per quod aqua confluit in uijs lapide stratis
Clunis natium tumor.
Corbis, uas ex uiminibus factum.
Cinis, puluis.
Canis aial latratile, piscis marinus, signũ cœleste.
Car, aliquis ex Caia.
Cres, Cretensis.
Curculio, animal paruum frumentum corrodens.
Crater, uas amplum, cui uinum aut oleũ imponimus
Conditor, qui aliquid facit.
Cures oppidi nomen.
Cor, fons & radix uitæ.
Crus, pars a genibus usq; ad inferiorem pedem.
Capital, quod olim sacerdotulæ gestabant in capite
Calx, pes imus, & pro cuiusuis rei fine ponitur, uel pro materia qua lapides in muro cõglutinantur.
Custos, qui uel quærem aliquam tuetur & curat.
Compago, compactio, & coniunctio.
Compedes, uinculi genus.
Cuspis, acutior pars hastæ.
Carex, herba acuta durissima.
Coxendix, coxarum uertex, quo fœmora uertuntur.

Cadauer, corpus mortuum.
Cicer genus leguminis.
Cardo, quo ianua mouetur.
Culex, uermiculus alatus.
Comes comitans aut sequens.
Coniunx, maritus, uel uxor.

D

Domus, ædificium ad habitandum factum.
Diphthongus, unicus duarum uocalium sonus.
Dama, animal timidum.
Dès notum est, per similitudinem capitur pro omni, quo aliquid teri potest.
Delphin, piscis maris, & signum cœleste.
Dodrans unciæ nouem,
Dies tempus duodecim horarum.
Dulcedo, suauitas,
Dux, qui uel quæ ducit aliquem.

E

Elis, ciuitas Arcadiæ.
Ensis, gladius,
Eremus, locus desertus.
Extorris, exul.
Elephas, animal maximum.
Aes, quoddam metallum, capitur pro pecunia.
Exlex, sine lege uiuens.
Aequor, mare.

Exul, qui uel quæ exulat.
Eques, homo equo insidens.

F.

Follis, instrumẽtũ quo attrahitur atq; emittitur uens
Fustis, baculus. (tus.
Funis, restis.
Fascis, lignorum aut alterius rei congeries.
Ficus, arbor uel morbus.
Finis, extremitas, siue terminus in una quaq; re.
Flos, dictus qui ex arboribus uel herbis colligitur.
Fons, scatebra.
Fel, purgamentum sanguinis.
Far, farina, & de omnibus frugibus dicitur.
Fur, qui uel quæ aliquid alteri subtrahit.
Fides, constantia in omnibus rebus.
Forfex, instrumẽtũ sartoriũ, quo aliquid scinditur.
Furfur, purgamentum farinæ.
Forceps, instrumentum quo tenetur aliquid.

G.

Græcia, regio.
Grossus, ficus abortiua quæ non maturescit.
Graiugena, græci dicti sunt.
Glis, animal muri simile.
Grips, animal pennatum omni ex parte leoni simile
Grex, pecudum multitudo.
Gurgulio, ps gutturis a naribu ad pulmonẽ, uel aĩal

Gigas, uir altißimæ staturæ.
Garamas, Libiæ incola.
Grus, auis nota
Grando, gutta aquæ in aere congelata.
Gorgon, nomen mulieris.
Gingiber, herba in Arabia nascens.

H.

Humus, terra humefacta.
Hippomanes, uirus ab equa collectum, uel carũcula in fronte pulli equini, hoiem ad insaniã redigẽs.
Hostis, inimicus, uel peregrinus.
Heros, uir diuinus & semideus.
Hydrops, aqua intercus.
Halec, piscis qui sola aqua nutritur.
Hæres qui succedit in hereditatem alterius.
Hyems bruma.
Histrix, animal exerinaceorum genere.
Huber, fertilis, abundans, & mãma pecoris & hominis.
Homo, notæ est significationis. (& capitur pro peregrino.
Hirundo, auis notißima.
Hospes, qui uel quæ ad hospitiũ recipit, aut recipitur

I.

Iuno, dea Iouis uxor.
Ignis, unum ex quatuor elementis.
Idus, dies qui diuidunt mensem
Iuuenis, qui adolescentiũ excessit ætatem.

lum. quod natura, aut ciuitas, aut gens iubet, & li-
quor eorum quæ coquuntur.
Infans, homo per ætatem nondum sciens fari.
Illex qui sine lege uiuit.
Icon. imago.
Iaspis, lapis preciosus.
Iubar, sol uel ipsius splendor.
Iecur hepar.
Iter. itio, actus eundi.
Imber, agmen aquarum largius ex nubibus effusum.
Interpres, qui authores declarat, aut aliquid ex lin
gua in linguam transfert.
Iudex, qui uel que iudicat.

L.

Libs, uentus Aphricus. (gratia
Lixa, coquus in exercitu, uel qui sequuntur quæstus
Lanista, q domi gladiatores docet, & populo uēdit.
Lyen, splen.
Logos, sermo, ratio, uerbum.
Lynter, nauicula a cauata arbore facta.
Lecytus, ampulla olearia.
Lichen, grauissimum morbi genus.
Leo, animal ferox.
Lebes, uas æneum.
Lac. succus maternus, quo animalia nutriuntur.
Laquear, pars superior cubiculi parū conuexa.

Linx animal maculosum acutissime uidens.
Limax, testudo et cochlea terrestris.
Lampas, ignis aut solis splendor.
Lassar herba quædam et succus ex culmo laserpit
Ligur, incola Liguriæ. (exul

M.

Mars, deus belli,
Mater, nota est significatio
Mensis tempus tot dierum.
Manus, membrum notum.
Mare, pelagus,
Mas, uir.
Mos uitæ institutum consuetudine firmatum.
Mus, exiguum animal
Mons terræ tumor altissimus.
Magnes, lapis ferrum attrahens.
Meridies, dies medius.
Mulier, quæ non est uirgo.
Mel liquamen dulce.
Marmor lapidis genus.
Mergo, auis in aquã cibũ captans assidue immerg
Martyr, testis.
Miles, qui pede militat.

N.

Notus, uentus meridionalis.
Natalis, dies alicui natalis.

Nurus filij uxor.
Nubes, uapor humidus ſublime egreſſus.
Nefrens, porculus per ætatem fabam frangere nondum potens.
Nicticorax, coruus nocturnus.
Natrix ſerpens aquaticus.
Nemo nullus homo.

O.

Orontes, nomen uiri & fluuij.
October menſis ſic dictus.
Opus opuntis, nomen ciuitatis in Locris.
Oleaſter olea ſylueſtris.
Oſtrea conchæ ſpecies.
Orbis circulus mundi, res rotunda.
Ouum notum eſt & eſt tàntum auium.
Oriens, regio orientalis.
Os oris concauũ illud inter qđ, ſunt dentes et lingua
Os oſſis, ſolidamentum corporis durum.
Omen augurium quod fit ore.
Onus pondus alicui iniunctum.
Occiput, poſterior pars capitis
Obex obiectũ aliqđ uel obſtaculũ ut peſſulũ, ſera.
Onix, unguis & gemma.
Obſes, qui uel quæ traditur in fidem alteri.
Opifex qui opus facit.

C.

Philotis nomen mulieris.
Persis, orientalis regio,
Præneste nomen urbis.
Passer auis salacissima.
Papa summus sacerdos,
Panis, quo pascimur.
Penis, cauda.
Pistis, fides.
Postis latus portæ, siue ianuæ.
Porticus, ampla domus propter repentinos imbres d
ambulationis gratia ædificata,
Papyrus, charta qua utimur in literis scribendis.
Pelagus, mare.
Penus omne esculētū poculētū quo hoīes uescuntur
Pampinus, uitis ramus.
Phaselus, nauicula uelox & oblonga.
Pharus turris altissima ī portu q̄ lucet nauigantib
Paradisus locus amœnissimus.
Patrueles, patruorum filij.
Perduellis, qui cōmisit crimen læsæ maiestatis. host
Pietas pius cultus.
Pes, ima pars corporis qua gradimur.
Præs sponsor q̄ se obligat. i. fideiussor ī lite nūmar
Pōs aßer, uel quiduis aliud p̄ quod super aquas tra
Phryx, uir Phrygiæ. (simu
Phœnix, auis unica.

Pus, sanies & quicunq; humor in putredinem uersus
Phython, serpens è putredine natus.
Perdix, auis nota.
Parens, pater aut mater, auus aut auia
Pecus cudis oris, omne animal quod sub hominis
imperijs, pabulo terræ pascitur.
Pellex, mulier impudica.
Problema, propositio interrogationē ānexā habens.
Pecten, instrumentum textorum & dentatum.
Piper, herba.
Papauer genus herbæ soporiferum.
Puluis notum est.
Pumex, lapis cauernosus.
Pugil, qui uel quæ pugnandi artem nouit.
Præsul, qui uel quæ præest.
Præses, qui uel quæ præsidet.
Princeps, qui uel quæ principatum obtinet.

R.

Robur, species quercus durissimæ.
Rabula homo futilis.
Rete, instrumentum, quo pisces capiuntur.
Restis, funis uel lorum.
Ros, humor qui sereno tempore è cœlo fluit.
Rex, nota est significatio.
Rus locus extra urbem, ubi agri sunt & uillæ.
Rudens, funis nauticus.

Ramex ruptura, & distentio intestinorum.
Ren, uiscus quoddam.

S

Sulmo, oppidum in Brutijs.
Spinus, pruni species.
Siler, frutex potius quam arbor.
Suber genus ligni qđ nautis utile ẽ ut fupuatẽt retia
Scriba qui literas uel gesta, uel tabellas & similia
scibit alterius nomine.
Satrapas princeps.
Sentis spina.
Socrus uxoris uel mariti mater.
Synodus conuentus,
Saphyrus, preciosus lapis.
Specus spelunca, unde spectare licet.
Senex, senio confectus.
Sodalis, eiusdem sortis socius,
Sal, quo utimur in cibis condiendis.
Sol qui & Phœbus dicitur.
Splen, lien, uiscus quoddam.
Ser, populus Asiæ.
Seps, serpens paruus.
Senio, quod sex puncta continet.
Sermo, loquela.
Semis, id est, semi as sex unciæ, dimidiũ assis.
Samnis, nomen gentis.

Syren, monstrum maris.
Soror, notum est.
Scrobs, fossa aut puteus,
Serpens anguis.
Stirps, truncus uel progenies.
Sus, animal sordidum.
Sacerdos, deo dicatus dicataue ad sacrificia' faciēda
Sanguis, cruor qui ex uulnere spargitur.
Seges frumentum in spicis,
Syndon, uelum subtilissimum.
Supellex, res domestica.
Siser, legumen.
Silex lapis durissimus unde ignis excutitur.
Siler, arbor quam uulgo salicem uocant.
Sacer quod uenerabile.

T.

Tibris, fluuius Italiæ.
Tibur oppidum Italiæ.
Thus, incensum libamen quo deum ueneramur, alias quando ipsa arbor.
Tigris, animal uelocissimum et truculentum,
Torris lignum ardens uel adustum.
Tribus progenies
Talpa, animal captum oculis, muri simile.
Torquis, circulus aureus, colliq; ornamentum.
Testis, qui uel quæ testimonium profert.

Tros, nomen uiri,
Thrax uir Thraciæ.
Ternio numerus ternarius.
Torrens, fluuius per pluuiã collectus.
Tapes, id est panni depicti tegimen mire pictum u
rijs coloribus.
Thorax, pectus & pectoris munimentum,
Teges, uille stragulum, matta sirpea
Tuber, dictũ à tumendo, et priore longa terræ callu

V.

Vergilius. poeta.
Venus, dea amoris & uenustatis.
Vulpes animal astutum.
Verres, porcus non castratus.
Vnguis, duricies digitorum, tam in auibus cæteris
bestijs, quam in homine.
Vermis, á uertendo, quia sese torquendo repit.
Vectis, instrumentum, quo clauditur hostium.
Venter, qui à pectore ad pubem terminatur.
Virus, uenenum, & grauis odor.
Vulgus, multitudo ignobilis.
Verna, ex ancilla domi natus seruus.
Vates, poeta et qui futura prædicunt,
Virtus, ars recte beneq; uiuendi,
Ver, anni pars temperatior.
Vas uadis, uadimonium

Veruex, mas inter oues cui adempti sunt testiculi.
Vxor, uiri coniunx.
Vir, notum est.
Vas uasis, instrumentū ad aliquid capiendū idoneū.
Virgo, quæ non est passa uirum.
Verber, instrumentum longum uerberandi.
Vigil, qui uel quæ uigilat.
Vindex, qui uel quæ uindicat.

SEQVITVR VERBORVM INTERPRETATIO.

A.

Ardeo, uror inflammor.
Augeo, magis fio.
Ago, facio.
Accerso, eo ad uocandum uel uoco.
Arcesso, uoco & accuso.
Amicio, uestio.
Apiscor, assequor acquiro.
Adipiscor, assecutus sum.
Aueo, cupio.
Arceo, pello, & aduenire non sino.
Applico, adiungo, & aduenio.
Abdo, abscondo.
Abscondo, occulto.
Aperio, indico, refero.
Alo, nutrio.

Audeo, sum ausus.
Ambigo, circumago: circundo
Ango, crucio, premo uexo.
Annuo assentior,

C.

Crepo, uiolentum sonum facio.
Cubo, iaceo proprie ut ægroti.
Conniueo, claudo oculos.
Cieo, uoco, prouoco.
Cumbo, iaceo.
Cædo cæcidi percutio.
Cedo cessi, locum do.
Claudo includo.
Colo, adoro ueneror.
Cedo, sine diphtongo idem quod cedo cessi id est
abco, cum diphtongo cædo cæcidi percutio.
Como, orno & maxime capillos.
Cerno, uideo.
Cano, uoce modulor.
Coquo, esui aliquid apto.
Curro, celeri gradu progrodior.
Capesso, capio uel ad capiendum eo
Cupio, desidero.
Cambio, muto pecuniam.
Comminiscor, excogito.
Complico, simul plico.

Credo, committo.
Condo, est in locum interiorem ad custodiam dare.
Carpo, tollo.
Comperio, ab alio cognosco.
Compesco, coerceo cohibeo.
Cado, ruo.
Concino, simul cano.
Circũpango, circunfigo, circũplanto, circumiungo.
Calco comprimo pessundo.
Capio, apprehendo, accipio.
Confiteor, affirmo ac totum fateor.
Compatior, misereor.
Cœno, cœnam sumo.
Concutio, moueo quatio.
Cluo, pugno, splendeo.
Caluo, decipior, frustror.
Caleo, calidus sum.
Cogo, impello.
Cœpio, incipio.
Cauco, prouideo.
Consulo, consilium peto.
Colo, aro, adoro, ueneror.
Censeo, iudico uel existimo.
Careo, priuor, non habeo.

D

Domo, mansuetum facio.

Do, dono.
Deleo, expungo, proprie lineas aut regulas.
Dico, loquor, nomino.
Dueo, notum eſt.
Diuido partior.
Demo, aufero.
Diſco, capio doctrinam.
Digredior, diſcedo.
Deleo, t. iſtis ſum.
Dedo, in perpetuum do, uel totũ ſubdo.
Damno, damno afficio, uel condemno.
Diſpeſco, ſeparo, dirimo.
Depango, defigo.
Diluo, aqua uel quouis humore aliquid (purgo.
Dego, ago.
Diligo, amo.
Diffiteor, inficias eo, nego.

E.

Excurro, extra curro.
Explico, extendo, & declaro.
Experior, tento uel tentor.
Eſurio, famen patior.
Edo, comedo.
Egeo, careo.
Eripio, extra rapio.
Emineo, præ alijs apareo, uel excello

Excuſo. extra culpam reddo.
Excludo. extra claudo.
Excutio, eiſcio, emitto.
Emo, comparo, mercor
Exuo, exoluo, denudo.
Expergiſcor, euigilo.

F.

Frico, ſcalpo.
Frigeo, frigidus ſum.
Fleo, lachrymor.
Feruco, ualde caleo.
Findo, diſſeco, diffundo.
Fundo, liquefacio uel liquidum ſpargo.
Frango, rumpo, deſtruo.
Fallo decipio.
Faceſſo, facio, uel eo ad faciendum.
Facio, aliquid ago.
Flecto, inclino, uoluo, duco, moueo.
Fodio, terram eruo.
Fugio, uito, currendo relinquo.
Fluo, decurro proprie ut liquores
Farcio, ſaturo, impleo, pinguefacio, ſagino.
Fulcio ſuſtineo, munio.
Flo, ſpiro.
Faueo, recte alicui opto.
Fingo, formo.

Fateor, annuo, concedo.
Fatiſcor, feſſus ſum.
Fruor, utor ad delectationem.
Fido, fiduciam et ſpem habeo.
Flaueo, flauus ſum.
Fio, efficior.
Feruefcc, calefco.
Ferio, percutio.
Furio, inſanio.
Fatiſco, deficio aut defatigor.

G.

Gigno, generо.
Gero, porto.
Gradior, eo gradus, uel per quod itur.
Gaudeo, lætor.
Gruo, ut grues gruere dicuntur.

H.

Hæreo, arcte alicui rei infigor.
Haurio, humorem excipio extraho.
Habeo poſſideo, teneo.

I.

Iuuo, auxilium do.
Iubeo, impero.
Iungo, cumulo. & quaſi in unum ago.
Inceſſo, accuſo, impero.
Iaceo, decumbo.

dulgeo, obsequor.
cor ira stimulor
gruo, inuado. impetum facio.
do, impono.
cido ferio. seco.
mineo, insto.
culeo eadem sæpius iterando ingero.
ficio, intingo, uitio seu maculo.
telligo, capio.
ro, iuramentum facio.

L.

auo, aqua purgo.
uceo, lucem emitto.
ugeo, doleo, tristor.
eo, imprimo, formo.
ambo lingua lingo.
edo, malum infero, dolore afficio
udo, ludum exerceo, iocor.
ego, notum est.
ino, aliquid alicui rei superinduco.
inquo, committo, pecco.
aceſſo, uexo, incito prouoco.
acio, in fraudem duco.
abor, cado.
ibet, placet.
icet, fas est.

Liquor, liqueo.
Liquefio, liquefeo.
Lingo, lambo. i. aliquid lingua molliter tango.
Liueo, liuidus sum, id est sordidus.
Luo, soluo, pœnas do.
Lateo, abscondo, non compareo.
Lacto, per blanditias decipio.

M.

Mico, fulgeo, cũ metu uel tremore.
Mulceo, lenio.
Mordeo, dentibus lædo.
Mulgeo, lacte mammis exprimo.
Maneo, sisto & expecto.
Mando, comedo uel committo.
Meto, seco, amputo herbam aut segetem.
Mitto, ad aliquem do.
Mereor, aliquid facio quam obrẽ dignus sum (obtinere.
Medeor, do medelam.
Malo, magis uelim.
Multiplico, adaugeo.
Mingo, urinam facio.
Metior, pondero, mensuro, considero.
Misereor, misericordia afficior.
Morior, e uita discedo.
Meio, mingo.
Medicor, medeor, remedium adfero.

Metuor, timeor.
Metuo, timeo.

N.

Nato, nato.
Nexo, ligo uel necto.
Neco, quacunq; rete occido.
Nigreo niger fio.
Niteo est oculorum & aliorum membrorum nisu aliquid conari.
Nubo, uiro trador.
Necto, ligo, coniungo.
Negligo, contemno, non curo.
Neco, occido.
Nosco, rem certam habeo.
Nitor conor, ago sedulo.
Nanciscor acquiro.
Nascor, orior, in mundum uenio.
Nolo recuso, non uolo.
Nideo splendeo.
Noceo malum infero.

O.

Obdo, oppono siue appono.
Operio, tego.
Oppango, circunfigo, circumplanto.
Occludo, claudo.
Ordior, incipio.
Obliuiscor, e memoria aliquid excidere sino.

Orior, nascor, surgo, incipio.

P.

Plico, contraho & rugas facio.
Pandeo. prandium sumo. uel ante prandium cibu
Pendeo suspensus sum. (sum
Plco. facio plenum.
Pendo, suspendo, uel pondero. æstimo.
Plaudo, manibus percutio, ac gestu lætitiam indic
Psallo. cano instumento musico.
Pello eijcio. remoueo.
Promo, profero, eloquor.
Premo, calco ac innitor alicui rei cum pondere.
Pono, colloco, constituo.
Pinso, tundo, panem conficio.
Pasco, nutrio.
Posco, peto.
Pecto, orno capillos.
Peto, oro, obsecro, uolo.
Pareo, obedio.
Pluo, aquam dimitto.
Proficiscor, eo alio.
Præcurro, antecurro siue cito ante eo.
Perdo amitto.
Prodo manifesto.
Patro, aliquid mali committo.
Pango, paciscor, cano, iungo plango, figo.

emineo, præcello.
romineo, procul appareo.
rcutio. ferio.
oluo multum siue multo tempore lauo.
rago, perficio.
rgo in re procedo, abeo.
rlego, totum lego
ndo, aperio, patefacio.
do, uentris crepitum facio.
ngo stimulo morsum ac aculeum infigo.
io. prolem produco.
to, bibo.
xo, explico, et pango capillum.
teo apertus sum.
ngo, formam alicuius rei ductis lineis repræsento
tior, sustineo, tolero.
rpetior, multum cum labore ac dolore patior.
aceo, gratus sum.
det, pudore afficior.
get, dolet seu molestum est.
scor foueor, alor.
lleo, parum albeo.
erasco, exacta infantia pueritiam inchoo.
rturio, cupio aut conor parere.
co, abstineo ab ultione.

Paueo, timeo.

Q.

Quiniſco caput inclino, moueo.
Quatio, mouro, concutio.
Queror, lamentor.
Quero, inueſtigo, interrogo.

R

Rideo, cachinno.
Rado, cultro uel quauis re acuta decerpo.
Rodo, mordeo, comedo.
Rumpo, frango.
Rapio, per uim traho, aufero.
Reſcio, percipio.
Refringo, iterum frango.
Repungo, iterum ſtimulo, uicem reddo.
Replico, diſſoluo.
Reddo, acceptum uel ablatum reſtituo.
Reperio, inuenio.
Repango, diſſoluo, reiungo.
Reſulto, reſilio, reuertor, in contrarium ſalio.
Rego, guberno.
Relego, rurſus lego.
Ruo cado.
Rapio, uiolenter aufero.
Rungo, os torqueo ut canes.
Reor, arbitror, puto.

eminiscor, recordor, memini
ecordor, rursus in mentem reuoco.
udo, grauiter sono ut asini.
enuo, refuto, reijcio
ecido, retro siue iterum in eadem cado.
espuo, repudio, sperno.

S.

eco, scindo, diuido, findo.
ono sonum facio.
o. erectus sum, id est maneo.
orbeo, deglutio quicquam molle.
rideo, facio stridorem sonum uiolentum
pondeo, promitto.
adeo, hortor ad id aliquem quod intendo
cribo, literas formo.
indo, findo, frango.
pargo. late proijcio ac passim iacto.
lio, sale condio ac conspergo.
mo. multum & pene nimium mihi tribuo.
no, permitto.
erno proijcio in terram
perno, despicio, contemno.
alpo, sculpo & fodio unguibus ac manibus
repo sonum facio
ro, semino, planto.
oluo, quod ligatum erat dissoluo, ac enodo.

Singultio grauiter tussio & singultum emitto.
Sepelio, defunctum terra condo.
Seco, diuido.
Salio, salto.
Stringo, premo, arcto.
Sequor, abeuntem subsequor.
Suesco, soleo.
Soleo, suetus sum.
Sedeo, quiesco.
Sido, descendo ad sedendum
Scabo, frico.
Sugeo, spiritu attraho succum.
Satago, satis ago, laboro. solicitus sum.
Sterno, dormio & somnum altum dormiendo faci
Scindo, seco. findo.
Sisto. stare facio.
Supplico, humiliter & cum reuerentia precor
Sacro, deo dedico, sacrum facio
Scando, in altum tendo.
Specio, uideo
Selego, seorsum colligo
Secerno, statuo pono ordino.
Sublego, furto aliqd surripio sub-
Sapio, saporem habeo. (stituo.
Salto, tripudio.
Sepio, obstruo, circundo munio.

Sarcio, purgo, reficio, integrum facio.
Sancio, firmo & propriè effuso sanguine per hostiæ immolationem.
Sentio, aliquo sensu percipio, pro intelligo ponitur

T.

Tono, ualde sono, ac facio tonitrum.
Tondeo, crines, uel lanam seco forcipe.
Torqueo, inflecto.
Tundo, percutio, pulso.
Trudo manibus pedibusue impello.
Tango, percutio.
Traho, ui ad me rapio ac duco.
Temno, sperno.
Tero, comminuo, consumo, tundo.
Trado, in potestatem alterius transfero.
Timeor, metuor.
Tracto traho uel sursum traho.
Teneo, appræhendo.
Taceo, sileo, non loquor.
Trãslego, legendo transcurro ac perlego.
Tendo, expando.
Torreo, uro, asso.
Texo, telam struo ac paro.
Tueor. defendor.
Tuor uideor.
Titubo, lingua uel pedibus uacillo.

Tepesco. languidus aut piger fiam.
Tollo, eleuo, sublemo.
Timeo, metuo
Tremo. commoueor, agitor.
Tedet, pertesum est, displicet.

V.

Verto, muto uoluo.
Vescor, utor cibo, et pascor.
Voluo, uerto.
Viuo, uitam ago.
Venio, ad aliquem accedo.
Vinco, supero.
Vro, ardoris aut frigoris esse potest.
Vlciscor, uindico.
Vocito. frequenter uoco.
Veto, prohibeo.
Vrgeo, premo, cõpello
Vincio, ligo.
Vado, eo.
Veho, nauĩ, plaustro, quadrupede ducor.
Vello, traho, extirpo.
Vomo, per os eijcio.
Verro, purgo traho.
Viso, eo ad uidendum.
Vendo, uenundo alieno.
Valeo, possum, ualidus ac sanus sum.

Verto, muto, uolue.
Veneo, uendor.
Vtor, usum rei habeo.
Video, oculis intueor.
Vergo, tendo, declino.

FINIS.

EXCVDEBAT ANTVERPIAE
Martinus Cæsar. Anno a Christo
nato Milleſimo, Quingen-
teſimo. Trigeſimo
Quinto.